

1979-04-25 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Scripturarum Thesaurus’

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

CONSTITUTIO APOSTOLICA

SCRIPTURARUM THESAURUS

**QUA NOVA VULGATA BIBLIORUM SACRORUM
EDITIO "TYPICA" DECLARATUR ET PROMULGATUR**

SCRIPTURARUM THESAURUS, quo salvificus nuntius a Deo hominibus datus continetur - ait enim recte s. Augustinus: " de illa civitate unde peregrinamur, litterae nobis venerunt: ipsae sunt... quae nos hortantur ut bene vivamus " (*Enarr. in ps. XC*, s. 2,1: *PL* 37, 1159) - ab Ecclesia merito semper summo in honore est habitus singularique diligentia custoditus. Quae quidem ab ipsis initiis suis numquam desiit curare, ut populus christianus quam amplissima frueretur facultate Dei verbum percipiendi, praesertim in sacra Liturgia, in qua celebranda " maximum est sacrae Scripturae momentum " (Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*., n. 24).

Ecclesia ergo in partibus occidentalibus illam ceteris versionibus anteposuit, quae Vulgata solet appellari quaeque maximam partem a s. Hieronymo, doctore praeclaro, confecta, " tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata " est (Conc. Trid., sess. IV; *Enchir. Bibl.*, n. 21). Tam egregiae existimationi documento est etiam cura eius textum ad criticam rationem apparandi, ac quidem per editionem, quae secundum altiore doctrinam adhuc concinnatur a monachis Abbatiae S. Hieronymi in Urbe, a Pio XI, Decessore Nostro fel. rec., ad hoc institutae (Const. Apost. *Inter praecipuas*, 15 Iun. 1933; A.A.S. XXVI, 1934, pp. 85 ss.).

Aetate autem nostra Concilium Vaticanum II, honorem confirmans editioni illi, quam Vulgatam vocant, tributum (Const. *Dei verbum*, n. 22), atque eo contendens, ut in Liturgia Horarum facilius esset intellectus Psalterii, statuit, ut huius recognoscendi opus, feliciter inchoatum, " quamprimum perduceretur ad finem, respectu habito latinitatis christianae necnon totius traditionis Ecclesiae " (Const. *Sacrosanctum Concilium*., n. 91).

His omnibus Paulus VI, Decessor Noster rec. mem., motus est, ut antequam eidem Concilio finis imponeretur, id est die XXIX mensis Novembris anno MCMLXV, peculiarem Pontificiam Commissionem constitueret, cuius esset universalis eiusdem Synodi iussum perficere atque omnes Sacrae Scripturae libros recognoscere, ut Ecclesia praedita esset editione Latina, quam progredientia studia biblica postularent quaeque potissimum rei liturgicae inserviret.

In qua recognitione efficienda " ad verbum ratio habita est veteris textus editionis Vulgatae, ubi videlicet primigenii textus accurate referuntur, quales in hodiernis editionibus, ad criticam rationem exactis, referuntur; prudenter vero ille est emendatus, ubi de iis deflectit vel minus recte eosdem interpretatur. Quam ob rem Latinitas biblica christiana est adhibita, ita ut aequa aestimatio traditionis cum iustis postulationibus artis criticae, his temporibus vigentis, temperaretur " (cfr. Alloc. Pauli VI, 23 Dec. 1966; A.A.S. *LIX*, 1967, pp. 53 s.).

Textus, ex hac ipsa recognitione exortus, quae quidem impensior fuit in quibusdam libris Veteris Testamenti, quibus s. Hieronymus manus non admovit, ab anno MCMLXIX ad annum MCMLXXVII seiunctis voluminibus est editus, nunc vero editione " typica ", uno volumine comprehensa, proponitur. Haec Nova Vulgata editio etiam huiusmodi esse poterit, ut ad eam versiones vulgares referantur, quae usui liturgico et pastoralis destinantur; atque, ut verbis utamur Pauli VI, Decessoris Nostri, " cogitare licet eam certum quoddam fundamentum esse, in quo studia biblica... innitantur, maxime ubi bibliothecae, specialibus disciplinis patentes, difficilius consuli possunt et congruentium studiorum diffusio est impeditior " (cfr. Alloc., 22 Dec. 1977; cfr. diarium *L'Osservatore Romano*, 23 Dec. 1977, p. 1).

Praeteritis temporibus Ecclesia arbitrabatur veterem Vulgatam editionem sufficere atque ad verbum Dei populo christiano impertiendum affatim valere: quod quidem eo satius iam efficere poterit haec Nova Vulgata editio.

Itaque opus, quod Paulus VI vehementer optavit neque ad finem absolutum potuit videre, quod Ioannes Paulus I studiosa voluntate est prosecutus, qui Pentateuchi libros, a praedicta Pontificia Commissione recognitos, sacrorum

Antistitibus in urbem " Puebla " congressuris muneri mittere statuerat quodque Nosmet ipsi una cum multis ex orbe catholico valde exspectavimus, typis excusum Ecclesiae iam tradere gaudemus.

Quae cum ita sint, Nos harum Litterarum vi Novam Vulgatam Bibliorum Sacrorum editionem " typicam " declaramus et promulgamus, praesertim in sacra Liturgia utendam, sed et aliis rebus, ut diximus, accommodatam.

Volumus denique, ut haec Constitutio Nostra firma et efficax semper sit et ab omnibus, ad quos pertinet, religiose servetur, contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXV mensis APRILIS in festo s. Marci Evangelistae, anno MCMLXXIX, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PAULUS PP. II